

Synonymia. 24. Monumentum propriè differt à sepulcrò. eod. Homonymia.
25. Differentia inter sepulcrum, Jus sepulcrorum & Jus inferendi mortuum
in sepulcrum. 26. descriptio sepulcri. 27.

ANtequam materiam propositam altiùs examine-
mus, melioris ordinis gratiâ priùs de origine ejus-
dem videamus, quam si arcessere amamus, sacra
potissimùm nobis evolvendæ veniunt literæ, qua-
rum ignorantia, sicut apud Ethnicos in hilce talibus errores
dedit gravissimos: ita illarum notitia multis etiam obscuriori-
bus enodandis abundè sufficit. Quemadmodùm verò Moy-
ses omnium Scriptorum primus est & antiquissimus, in Pen-
tatevchò autem aliisque Sacri Codicis textibus haud inire-
quenter actùs sepulturæ mentio fiat; ita necessario sepulcro-
rum usum juri divino haud incognitum, adeoque antiquissi-
mum esse, consequens est. Sic de sepulturâ Saræ conjugis
Abrahami textus est luculentissimus. *Gen. 23. vers. 6. 19.* ipsius
Abrahami *Gen. 25. v. 9.* Rachelis. *Gen. 35. v. 19.* Jacobi. *Gen. 50.
v. 13.* quin & ipsemet DEUS Moysen sepeliendo haud obscu-
rè morem hunc sepeliendi confirmavit. *Deut. 34. v. 6.* Ita & a-
liis quàm plurimis Sacrorum Bibliorum locis sepulturæ ritus
non approbatur solùm, sed & præcipitur, uti *Syrac. 38. v. 16.*
junctò c. 7. vers. 37. *2. Reg. 2. Tob. 1. & 2. Luc. 23. v. 53.* *Matth. 26. vers.
12. & c. 27. v. 60.* *Joh. 19. v. 33.* Quod si natura jubet, hominem
homini benefacere. *Guil. Grot. d. princ. jur. Nat. c. 8. § 3.* ob ratio-
nem, quam assignat *Jctus in l. 3. ff. d. j. & j.* quia *cognitionem
quandam* (non quidè propriè & καὶ ἐξοχὴν dictam, sed speciei,
eorumque priorum, quæ proximè speciem sequuntur)
inter nos natura constituit, certè & de jure Naturæ homini
sepultura denegari nequit. Si quæris: quænam beneficia
hic intelligi debeant? Respondet *prælaudatus Grotius c. l. §. 4.*
Ea beneficia huc imprimis spectare, quæ humanitati (h. e. non
præcisè huic vel illi homini ob conditiones individualitas ipsi

B

in-